SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,


Octernio Sextus.

NOBILI ET INGENUO PUERO, JOANNI THEOPHILO MOSCOROVIO Magnifici D. HIERONYMI Moscorovii Filio, oblatus.

Ad Lectorem.

Qui ſacra legiſti totiens Epigrammata noſtra,
Nunc quoq́;, Lector amans, Diſticha pauca legas.
Vt numeros damnes, tamen haud damnãda putabis,
Quæ comprenſa illis dat mea Muſa tibi.





OPTIMÆ INDOLIS PUERO, JOANNI THEOPHILO MOSCOROVIO, Genorosi & Magnifici D. HIERONYMI Moscorovii de Moscorovv Filio, Salutem.

IANE *Puer*, MAGNI *Spes jam nō parva* PARENTIS,
Qui mirâ Musas sedulitate colis.
Plus annis præstas, seu vis sermone soluto,
Seu vis imparibus scribere verba modis.
Nec puerile sonas, si quando fortè rogatus,
E CHRISTI *verbis, aurea dicta refers.*
Cresce annis, animo quantum ipso, IANULE, *crescis,*
Æmula præclari gemma future PATRIS.
Hæc pauca interea jucundo suscipe vultu.
Carmina, quæ tibi dat nostra Thalia. vale.

S. P.



OCTERNIO SEXTVS SIMONIS PISTORII OPPOL: SIL.

Primùm Regnum DEI.

RELLIGIO *primùm cui divinissima cordi est,*
Huic DEUS *affatim cætera dona dabit.*

In medio Virtus.

Vera, profana nec est, nec (crede) superstitiosa,
Christiadum Pietas; inter utrumq; sita est.

Nemo vi cogendus.

Vis malesuada, Fidem quid quemquam cogis ad ipsam?
Duci, non cogi Spiritus intus amat.

Frustra sine spe immortalitatis.

Si non ducatur vitæ immortalis amore,
Officium frustra quisq; coactus agit.

Ignorantia DEI.

Quid sit Relligio paucis nunc scitur, & hoc est,
Quod Pietas nulla est, aut simulata viget.

Fides cur donum DEI.

Dicta Fides ideò donum est; quia nulla fuêre
Corda, revelandam quæ meruêre sibi.

Quam prædestinationem agnoscat Scriptura.

Credenti in Christum a seclis donata Salus est;
Mors decreta Malis perpes & interitus.

Quis Deî timens.

Ille mihi IOVÆ *metuens, & justus habetur,*
A cujus nunquam pectore Christus abest.

In negotio ſalutis periculoſa dilatio.
Qui ſtudium differt pietatis de die in horas,
De corio ludit ſcilicet ille ſuo.

Paritas Chriſtianorum.
Quamvis diverſi ſint conditione ſtatuq;:
Sunt tamen in Chriſto dives egensq; pares.

Puritas.
Omnis ſpurcities, & ſtultiloquentia, cunctis
Vanus & a Sanctis debet abeſſe jocus.

Evangelii præſtantia & vilitas.
Cauſſa crucis Chriſti ſermo eſt, & cauſſa ſalutis,
Ergò hujus comes eſt hinc pudor, inde decor.

Miſericordia Chriſti juſtorum aſylum.
Spes mihi magna ſubeſt, cùm Chriſti ſpecto favorem;
Cum mea facta noto, ſpes mihi parva ſubeſt.

Sua quemq; Fides juſtificat.
Cede ſuperſtitio! propriâ nam vivet in ævum
Quisq; Fide; prodeſt haud aliena fides.

Verus Chriſtianus.
Pectore ſis ſanctus, ſis factis ſanctus & ore,
Si bonus & verus Chriſticola eſſe velis.

Quid Deum flectat.
Ira nequit IOVÆ *flecti mortalibus auſis,*
At lacrumâ & ſanctâ flectitur ille prece.

Avaro nil ſtupidius.
Demens in multos cupidè quid rem ſtruis annos,
Spes tibi? qui neſcis quid ferat hora ſequens.

Quis beatus.

Thoma, ardes Christum, visum post fata! beatus
Non usurpatum lumine quisquis amat.

Sine quâ non.

Non sunt caussa quidem meritoria sancta salutis
Facta; at sunt sine quâ non datur alma Salus.

Salutem cum conditione dari.

Offertur gratis, sed non datur absq; labore:
Hinc donum, & merces, vita beata cluit.

Labore merces.

Nil agis & palmam vis, barde? Laboribus absq;
Nil datur: his vendit sed sua dona Deus.

Charitatem Fide, & Spe majorem esse.

Magna Fides, & Spes magna est, Dilectio major.
Caußa, quòd hæc finem non habitura suam.

Dilectio.

Vt cibus insulsus: sunt cruda ingrataq; cuncta
Christicolûm, desit si socialis amor.

Omnis caro fœnum.

Graminis est instar vita hæc, & gloria floris;
Quàm citò dispereunt, tàm citò & ista cadunt.

Verbum otiosum.

Non bona qui fatur, nilvé ædificantia verba,
His dignas pœnas garrulus iste dabit.

FIdes efficax per charitatem.

Nunc nihil ad veram faciunt externa salutem,
Sola sed in Christum prædita amore fides.

Caritatis proprietas.

Rixarum fons eſt odium, fomesq́; malarum,
Sed peccata tegit plurima verus amor.

Facilis deſcenſus Averni.

In præceps via lata patet, quæ ducit in Orcum:
Arcta ſed in cœlum quæ vocat, alta tenet.

Apoſtata canis inſtar.

Perfidus ut canis eſt: namq́; ille revertitur acta
Ad ſua fœda iterum, ceu canis advomitum.

Præſtat a Deo commendari.

Laudari ſatis eſt haud à mortalibus ægris,
Quæ venit à Iovâ laus, ea vera venit.

Angeli quo gaudent.

Cœlicolûm ſanctas vis exhilarare cohortes?
Peccatis valedic: rem pietatis age.

Chriſtus καρδιογνώστης.

Senſa animi Chriſtus ſcrutatur. hypocrita quare
Aut malus ante ipſum, quisquis es, eſſe cave.

Solus Deus metuendus.

Decipitur quicunq́; homines putat eſſe timendos,
Præſtat cœleſtem velle timere Deum.

In cultores imaginum.

Vile fuit nuper fragmentum & inutile lignum,
Effigies colitur nunc fabrefacta manu.

Superbiam ſequitur ruina.

Alti corde ruunt, humiles tolluntur in altum;
Elige nunc utro de numero eſſe velis.

Chriſtus

Chriſtus lapis angularis.

In lapidem poſitus Maleſidis Chriſtus acutum,
Ire per hunc noli, ſi ſapis, omen habet.

Cum Deo omnia.

Concipe vota Deo, ſiquid tibi deſit, habebis
Cuncta favente Deo, nil renuente Deo.

Ex abundantia cordis os loquitur.

Mens quibus internis abſcondita rebus abundat,
His ſeſe externo prodit aperta ſono.

Beatius eſt dare, quàm accipere.

Danti promiſſa eſt merces, nulla accipienti;
Dansq; beatior hinc accipiente Vir eſt.

De craſtino ne ſolliciti.

Omnis habet ſua vita Dies, curasq; recentes,
Ergo futurarum, nunc tua, liber, age.

Qualia nunc & futura corpora.

Nunc redit in nihilum corpus mortale, deinde
Credenti Chriſtus Spirituale dabit.

Nec facienda, nec dicenda turpia.

Chriſticola es, ſed vana patras, ſed vana profaris,
Falleris! haud verus Chriſticola iſta facit.

In alienis curioſi.

Nil propè talpa vides in re quæ pertinet ad te,
Quæ ſpectant alios, lynceus illa notas!

Pietas ſuâ ſorte contenta.

Contenta eſt victu Pietas, & ſemper amictu;
Sola ſed impietas neſcit habere modum.

Vita vapor.
Vita quid est hominum? vapor est evanidus, aut si
Fortè illo quidquam vanius esse potest.

Deus non accipit Personas.
Cùm pœnas infert, personas haud Deus ullas
Respicit. Ergo reus criminis esse cave.

Bona opera ad salutem necessaria.
Errat, nil facere ad vitam pia facta perennem
Qui putat, hac danda est conditione salus.

Si innocenter.
Es pius & pateris! laus est tua maxima: sed si
Es malus, & pateris; gloria vana tua est.

Caussa salutis & interitus.
Salvantur, Ratio quos illustrata gubernat;
Intereunt, sed quos cæca Libido trahit.

Deus non ita velox ad pœnas, ut nos ad peccata.
Nos velut ad lapsus, tàm præceps esset in iras
Si Deus, hoc dudum nullus in orbe foret.

Quid me persequeris?
Christicolas qui persequitur (res mira relatu)
Persequitur Christum nescius, immò Deum.

Via salutis.
Vivere de Christi præscripto, adversaq; ferre,
Hac ire ad Cœlos conditione datur.

Laborandum in Domino semper.
Vive Deo, cùm tanta tibi sit cognita merces,
Perdiderit nullum jam tua vita diem.

Nobilis ultio.

Conari malefacta Viri benevincere factis,
Est ulciscendi nobile, crede, genus.

Christus scrutans corda.

Non externa modò, sed respicit intima Iudex
Christus, & hinc purum pectus habere stude.

Summum Bonum.

Commoda sint aliis, & honos, præsensq; voluptas:
Sola mihi est summum vita futura Bonum.

Nil ad vim mortis.

Dum mors accelerat, tu sive Machaonas omnes
Orbe voces toto, nil facis, illa facit.

Qui perseveraverit.

Non bene qui cœpit, sed qui bene finiit, hæres
Æternæ, Christo teste, salutis erit.

Ex Deo geniti.

Haud prodest ortus ex ipsis ducere Sanctis,
Sed nasci Iova de Genitore beat.

Thesaurus in cœlis.

Quæ das pauperibus divina reponis in Astra;
Hæc tantùm servas, cætera perdis Homo.

Quid polluat.

Polluit hoc tantùm, quod corde erupit in actum,
Non is, qui sumptus prodit in ora, cibus.

Cernit Deus omnia vindex.

Omnia cùm facias peccans, ut fallere possis,
Fallere nos aliquâ, non potes arte Deum.

Non eſt acceptus in Patria Propheta.

Ede apud ignotos, ſi quæ potes edere facta;
In patria ferri nemo Propheta poteſt.

In diſputatores.

Litigioſus homo es, Chriſtum ut credaris amare:
Hoc non fit verbis: qui pius eſt, is amat.

Diſcordia.

Funditus evertit gliſcens diſcordia regnum,
Contiguasq; domos Lis odioſa quatit.

Sola pietas æterna.

Indomitæ juri ſunt omnia ſubdita Mortis,
Iuſſa Dei, æternùm, qui facit, ille manet.

Ad præſcriptum Chriſti vivendum.

Ardua, Chriſte, tuo de voto vivere res eſt;
Ardua ſit quamvis res ea, ſola beat.

Solida Pietas expers oſtentationis.

Affectat quisquis dici pius, atq; videri,
Ille mihi veræ nil pietatis habet.

Colloquia prava.

Inficiunt mentes hominum dicteria prava,
Eſſe animo ſanus qui cupis, iſta cave.

Cur Mali plures Bonis.

Hic habet Impietas, Pietatis præmia differt
Iova; hinc eſt, rarus quòd pietatis amans.

Chriſti filiationis cauſæ.

I.

Auræ divinæ vi Virginis extitit alvo
Chriſtus, & hinc Gnatus dicitur eſſe DEI.

2.

Donorum cumulo, mensuram præter, adauctus,
*Dicitur hinc meritò Filius, estq; D*EI.

3.

Rex immortalis par factus in Æthere IOV*æ,*
Inde DEI *omninò est filius, immò Deus.*

Propter similitudinem cum Deo dicimur filii DEI.

Vt morum paritas, sic participatio diæ
Naturæ, Gnatos nos facit eße DEI.

Per sanctitatem ad immortalitatem.

Nullus erit Vitæ par immortalis honore,
Dissimilis fuerit si bonitate Deo.

Fides.

Promissis confisa Dei, vestigia Christi,
Mandato fungens munere, ponè sequor.

Spes.

Ad Christum penetrans ipsum, desidero summum
Corde Bonum; quamvis hic maris unda tonet.

Charitas.

Vivo DEO *moriorq; ; mori pro fratre paciscor;*
Hostibus, & cunctis utilis eße volo.

Patientia.

Vndiq; circumfusa malis, sine fine, fatigor,
Persto tamen constans in statione meâ.

Victoria.

Qui pedibus Sathanam conculcat et omnia Mundi,
Is victor dici cur mereatur habet.

Trophæum.

Militiæ hîc locus est, benè qui jam militat, ille
Dux factus cœlo digna Trophæa geret.

Triumphus.

Fas erit insignem canere hinc de morte Triumphum,
Corpora nostra Deus quum rediviva dabit.

Victori Corona.

Non Lauri è foliis victoris tempora cinget,
Verùm immortali facta Corona Bono.

Sapiens quis?

Sic ducens Vitam, quò ducere possit in ævum,
Hic meritò nomen Vir sapientis habet.

Rarus quis?

Concertant sancta de relligione frequentes:
Qui studeat sanctè vivere, rarus erit.

Lata via ad Interitum.

Ad quem lata via est, facilis descensus Averni;
Hinc studet ergò gradum qui revocare, sapit

Felix quis?

Hunc puto felicem, cui mens est Conscia recti;
Nam nihil hic unquam, quod vereatur, habet.

Merces pietatis.

Thesbiten & Enoch rapuerunt sidera vivos;
Mercedem Virtus hanc utriusq; tulit.

Novum Fœdus.

Morte novum Christus sancivit Fœdus, & hoc est:
Non forè damnandos, quos juvat esse probos.

Non labor in Domino noster inanis erit.
Crede mihi, est operum pretium non vile bonorum,
Nempe his est animæ vera parata salus.

Beati qui in Domino moriuntur.
Dira (fide majus) post funera Christus in Astra est
Raptus, & hinc mors est nulla timenda Piis.

Frustra impius, quamdiu impius, morte Christi gaudet.
Si peccans ex morte capis solatia Christi,
Falleris est solis illa medela Piis.

Christi sanguis testatur, pœnitentibus remissum iri peccata.
Vt sis securus pœnæ, si Crimina ponis,
Christi hoc testatur mors truculenta tibi.

In Christum credere quid sit?
Hæc est in Christum Fidei natura Potentem;
Fidere promissis, jußaq; sancta sequi.

Iudex Mundi Christus.
Omnia nunc præstat Christus, cui summa potestas,
Seu servare velit, perdere sive velit.

In Christo magnitudinẽ potentiæ Dei conspici.
Quid possit vis lata Dei, quin respice Christum,
Olim homo mortalis, nunc Deus Astra tenet.

Fideles per Christum resuscitandi.
Solas primitias Christum revocavit ab Orco
Iam Deus, à Christo est pòst revocanda seges.

Iesus Christus servator animarum.

Olim animam commendabas tute ipse Iehovæ,
Hanc tibi commendo nunc Ego, Christe, meam.

Christum quis noscat?

Non qui personam, sed divinissima Christi
Munia scit, Christum noße putandus hic est.

Orbis Christianus quid nunc agat.

Officium Christi nemo propè scire laborat;
At de Persona litigat omnis homo.

Christus enarrator mysterii æternæ salutis.

Sint Christo grates! primo narrante Magistro
Quo secreta Dei pectora noße licet.

Argumenta divinæ veritatis ex parte Christi.

Magna quidem Pietas est demonstratio veri:
Vis operum major: maxima Mortis opus.

Ex parte Dei.

Morte redux, virtute Dei, super astra locatus
Christus promissi est jam dator ipse sui.

Christus cum Suis Vnum.

Femina cum proprio Mare non ita jungitur arctè,
Vt Nos cum Christo copulat acer Amor.

Inseparabilis conjunctio.

Tale inter Nos est & Christum gluten amoris,
Inter quale Caput, Corpus & eße solet.

Et sanctificans & sanctificati ex eodem.

Ex Patre cum Sanctis Christus proficiscitur Vno,
Iam Fratrum tales hinc habet ille loco.

Christus nostri gratiâ Dominus omnium.

Astra Ipsa, & Terras, Orcum, Æquora; sub pede Christus
Hæc nostræ caußâ cuncta Salutis habet.

Omnes inimici subijciendi Christo.

Christe, regis clavum imperii quem, sentiet olim
Et Mors, & Sathanas, & maledicta Cohors.

Complementum Christi gloriæ Salus Fidelium.

Integra constabit tunc Christo & gloria sarta,
Cùm Nos ad fætâ Regna salute vehet.

Christus subjiciendus Deo.

Imperia hæc quando reddet liberrima Christus,
Incipiet rursum subditus eße Deo.

Deus erit omnia in omnibus.

Hostibus edomitis, post Mundi funera, IOVA
In Christo, & sanctis omnia solus aget.

Status æternæ vitæ.

Tunc quæ sit rerum facies, & imago futura,
Christicolæ nec mens concipit ulla satis.

Precatio Christianorum.

Christe mane, Nox *jungit equos tenebræq; sequuntur,*
Vt sit Nobiscum *Lux tua, Christe mane.*

Gaudium ferè præsupponit tristitiam.

Gaudeat inventâ quare Muliercula dragmâ?
Qui nihil amisit, gaudet & ille nihil.

Nemo innocens.

Qui sanctum se lite putat convincere Iovam,
Fallitur; est Omnis noxius ante Deum.

Cum Christo omnia.

Qui retinet Christum, in Domino tenet omnia Christo,
Sive Hecale pauper, sive sit Irus inops.

Verbum DEI æternum.

Alma manet superi vox IOVÆ, eademq; manebit
Semper; habet fines Vita caduca suos.

Christus caput Ecclesiæ.

Sufficit absq; Papa caput invisibile Christus;
Nam semper præstò est omnibus Ille suis.

Idem caput qui servator.

Qui salvare nequit, Caput is nequit esse; sed ille
Tantùm, qui servat Corpus alitq; suum.

Cur dicantur justi statim post mortem esse cum Christo.

Cum Christo extinctus cur mox pius esse putatur?
Quamvis longa, tamen tempora non numerat.

